



*Programmata*

HOC  
 SECVLO FLORVM STUDIO-  
 SSSIMO  
 FLOREM OMNIVM FACILE  
 PRAESTANTISSIMVM  
 BETHLEHEMI NATVM  
 HVMANI GENERIS RESTAVRA-  
 TOREM  
**IESUM CHRISTUM**  
 DIE EIVS NATALI  
 ANNO MDCCXXVI  
 AVSPICATO ILLVSCENTE  
 MEDITARI  
 ET  
 FLORENTEM RERVSTATVM  
 INFVTVRVM ANNVM  
 AB EODEM  
 EXPETERE VOLVERVNT  
 SCHOLAE CATHEDRALIS NVMBVRGENSIS  
 CL. I AVDITORES.

---

NVMBV RGI,  
 TYPIS BALTHASAR. BOSSOEGELII, PRIVILEG. TYPOGR.

AK





A. Ω.

Lorea nunc vere sunt secula: Flora per orbem

Nunc floret: Florae magnus habetur honos.

Quot coelum stellas, tot habent viridaria flores:  
Lis est, sitne potus pulchrior, anne solum.  
Areolae nec alunt tantum sua pignora nostrae;  
Quae peperit longe terra remota, ferunt.  
Impiger ad nigros currit viridarius Indos,  
Externas et opes conuehit inde domum.  
Africa quos gignit, quos gignit America flores,  
Asia quos pleno continet ampla sinu,  
Quos Europa parit latis regionibus: illos  
Pukillis credit Teutonis ora suis.  
Neue peregrinos necet acrior aër alumnos,  
Mulcet eos leni lucidus igne focus.  
Saeuiat acris hyems, hortis depellat honorem;  
Sub tectis ridet flosculus artis ope.  
Miretur Babylon, quos blanda Semiramis hortos  
Sumtibus immensis pensile fecit opus.  
Hesperidum valeant, valeant exulta vireta  
Alcinoi, docti quae cecinere viri.  
Praecellunt illis raro topiaria foetu,  
Quae colit in multis patria nostro locis.  
Ac velut adliciunt cupidam spectacula plebem:  
Sic spectatores vix capis, horte, tuos.  
Consulis hoc hortus nuper monstrauit in vrbe,  
Quae Francofurti nomine clara venit.  
Florescens aloë florum protruserat octo  
Millia: res vere prodigiosa fuit.  
Vndique turba ruit, subito rumore vocata,  
Spectatum: numero copia maior erat.  
Sed nos nec capiunt horti, nec culta vireta:  
Lumina nec flores pascere nostra queunt

Ies-



Iesseus nobis aridet flosculus ille,  
Qui micat in Bethles, fideris instar, agro.  
Vt stellas superat praestanti lumine Phoebus:  
Sic non par exstat flosculus vllus ei.  
Cedite nunc flores signati nomine regum:  
Lilia lacteolis cedite ficta comis.  
Vosquerosae proculhinc, procul hinc discedite, ne vos  
Lumine perturbet flosculus ille suo.  
Caulibus hic geminis exsurgit flosculus: alter  
Est Deus omnipotens, verus at alter homo.  
Vtque rosam decorasse ferunt sua numina gentes:  
Sic in eum fusae sunt deitatis opes.  
Quaeritis hic qua sit forma flos, quoque colore?  
Purpureus pariter, candidiorque nive est.  
Hic color est signum peccati labe carentis;  
Pro nobis fusi sanguinis ille nota est.  
En, granadilla velut, prae se fert vulnera quinque,  
Cunctaque supplicii signa tremenda crucis.  
Spinis in mediis crescit tribulisque dolorum,  
Vt nos possimus prosperitate frui.  
Roscidus hic gratum quem flos exhalat odorem,  
Et mentes recreat, moestaque corda leuat.  
Hic odor angustis non circum scribitur vllis  
Limitibus; replet solis vtramque domum.  
Cernitis, vt tacti coelestis floris odore,  
Eoa veniant ex regione Magi.  
Non tamen est cunctis mortalibus ille salubris;  
Adspirat mortem, turba maligna, tibi.  
Floribus ex laetis sic fugit aranea virus;  
Sed legit hyblaeum sedula nectar apis.  
Pastores ouium quam sunt dulcedine capti  
Illius floris! quam venerantur eum!  
Hannaque iam dudum caro spoliata marito,  
Solatur fortem flebilis inde suam.

Prom-



Promptus et est Simeon, hoc suauis flore relictus,  
 Difficilem trepidae mortis adire viam.  
 Herodes, scelere ante alios immanior omnes,  
 Hunc florem prorsus non tolerare potest.  
 Saeuit et ante diem florem concidere tentat,  
 Ex quo florens vita salusque venit.  
 Sed frustra saeuit: non est flos ille caducus,  
 Humana nec vi concidet ante diem.  
 Turpiter hunc florem spernit Iudaeus Apella:  
 Illi non toto cedit in orbe locus.  
 Floscule, caelestis Paradisi sede locande,  
 Si sic abiiceris, sub pedibusque iaces;  
 Nos propulsi tibi pectora nostra dicamus:  
 Inferere te nobis: nos tua turba sumus.  
 Infelix lolium vitiorum euellimus omne,  
 Et quicquid poterat displicuisse tibi.  
 Spargimus en lacrymas, commissa ob crimina fusas:  
 Haec tibi iucundi roris ad instar erunt.  
 En te nostra fides firmis complexibus ambit,  
 Vt florum bulbos terra calore fouet.  
 Incipe florens in nobis spargere odorem  
 Iustitiae, nescit quem temerare nefas.  
 Ille tuus succus, quo non praestantior alter,  
 Nobis ingeniti sit medicina mali.  
 Ille tuus succus medeatur moribus istis,  
 Quos stygii nobis intulit ira canis.  
 Te florente, sacer poterit florere senatus,  
 Nec plebi deerit, te tribuente, vigor.  
 Te florente, scholae poterit florere iuuentus,  
 Ex te quotidie vim trahet illa nouam.  
 Te florente, fluet mox florentissimus annus:  
 A nostro fugient tristitia fata loco.  
 Tandem caelestis nos horti sede beabis,  
 Cum nos, ceu flores, mors truculenta metet.

\* \* \*

78 M 496

ULB Halle 3  
001 618 148



TA-506  
K118  
1017









*Programmata*


HOC  
 SECVLO FLORVM STUDIO-  
 SISSIMO  
 FLOREM OMNIVM FACILE  
 PRAESTANTISSIMVM  
 BETHLEHEMI NATVM  
 HVMANI GENERIS RESTAVRA-

IESU  
 DI  
 AVSP  
 FLORE  
 IN  
 SCHOLAE C

STUM  
 ALI  
 I  
 ENTE  
 STATVM  
 NVM  
 VMBVRGENSIS

TYPIS BALT.

VILEG. TYPOGR.



AK